

Benedictus PP. XVI

Auxilium patienti Ecclesiae opus anno MCMXLVII apud Praemonstratensem Abbatiam Tongerli Belgarum, suadente Decessore Nostro Pio XII, est conditum. Inde ab initio pastorale opus habitum est catholicae Ecclesiae, ad eius missioni operam ferendam, ut auxilium subsidiumque in toto terrarum orbe partiretur, in illis potissimum locis ubi Ecclesia persecutiones patitur, ubi Ipsa gravibus necessitatibus occurrere debet, ut suam missionem adimpleat, vel ubi Ipsa in indigentioribus membris patitur.

Opus *Auxilium patienti Ecclesiae* a Congregatione pro Clero velut publica fidelium consociatio per Decretum n. 172973/1, die VII mensis Aprilis anno MCMLXXXIV, est constitutum. Attamen, experientia his annis adepta, ut eiusdem structurae operaeque exigentiis ac peculiaritatibus ipsius officiorum melius optarentur, re mature vestigata ac collatis consiliis, decrevimus ut, propositis eiusdem servatis, nova iuridica forma daretur.

Itaque huius bene meriti operis pondus confirman-
tes, Apostolica Nostra ex auctoritate atque ad Iuris Canonici normam, decernimus ut publica fidelium Consociatio *Auxilium patienti Ecclesiae* aboleatur atque in Civitate Vaticana opus Religionis Cultusque constituatur, cuius titulus sit "*Auxilium patienti Ecclesiae*", addita iuridica personalitate canonica civilisque Vaticana, cuius comprobamus simul Statu-
tum.

*Huius constituendo Operi patrimonium tribuitur
quod ad publicam fidelium Consociationem Auxi-
lium patienti Ecclesiae quondam pertinuit, quod
cunctos titulos obtinebit activarum passivarumque
relationum.*

*Ex Aedibus Vaticanis, die IV mensis Novembris,
anno MMXI, in memoria S. Caroli Borromeo, Ponti-
ficatus Nostri anno septimo.*

Benedictus in ih.

005007

Si certifica che la presente fotocopia è la
fedele riproduzione del documento origi-
nale che si conserva nell'Archivio della
Segreteria di Stato - Affari Generali.

Dal Vaticano, **29 NOV. 2011**



Peter B. Wells

MONS. PETER B. WELLS
Assessore della Segreteria di Stato
Affari Generali